



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

60. Protestationes factæ contra innouationem attentam in actu
Benedictionis Abbatis Patri sub litteris A & B.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*Protestationes factæ contra inuouationem Attentatam in actu
Benedictionis Abbatis Petri, sub litte-
ris A. & B.*

A.

IN Nomine Domini Amen. Vniuersis & singulis hoc præsens, publicum Instrumentum, seu benedictionis actum inspecturis, vituris, lecturis, seu legi audituris, pateat euidenter & sit notum. Quod anno Domini eiusdem millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto, Indictione octauâ, die verò Dominicâ, ipsa Pentecostes, quæ fuit & erat decima mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Pij diuina prouidentia eius nominis Papæ quarti, anno eius sexto, horam circiter nonam ante meridiem in mei Notarij publici, testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præsentia, præsens & personaliter constitutus egregius & circumspectus Theodorus Scipio, pro tempore Reuerendi in Christo Patris ac Domini, Domini Petri Abbatis, nec non religiosorum ac deuotorum Prioris & Conuentus Monasterij Sancti Maximini prope & extra muros Ciuitatis Treuirensis in temporalibus Officiatus, atque eo seu Syndicatorio nomine dictorum Reuerendi, ac religiosorum Dominorum nominibus habens & tenens suis in manibus Bullam Apostolicæ facultatis plumbo in cordula canabis more Romanæ Curie appenden. Bullam, sanam quidem & integram, non vitiatam, nec in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio & suspicionis nota carentem, quæ incipit. Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Petro Abbati Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, S. Maximini, & c. ac definit: Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo, sexagesimo quarto, die septimo Kalend. Octobris, Pontificatus nostri Anno quinto, & c. dixit, atque his vel in effectu similibus verbis exposuit, earundem litterarum Apostolicarum vigore benememorato Reuerendo Domino Petro Abbati, vt à quocunque maluerit Catholico Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, munus benedictionis recipere valeat, ac eidem Antistiti, vt illud impendere licitè possit, plenam ac liberam fore, & esse concessam facultatem. Quæ quidem cum ita sint, Reuerendum in Christo Patrem ac Dominum, Dominum Georgium Episcopum Azotensem, Reuerendissimi Domini nostri Archiepiscopi Treuirensis moderni in Pontificalibus Vicarium generalem, pro huiusmodi munere benedictionis conferendo debitâ cum reuerentia interpellasse, requisuisse atque rogasse, qui & se promptum obtulerit, talique petitioni annuerit. Et licet prædictus Reuerendus Dominus Petrus Abbas pro tali munere, quas poterit deuotè referre gratias, studio omni sit conaturus. Nihilominus tamè, quia ad ipsius Reuerendi Domini Abbatis, tum quoque Prioris, & fratrum Conuentualium prædicti Monasterij S. Maximini aures deuenerit, & compertum habeant, ipsum Reuerendū Dñm Gregorium Suffraganeum, à Reuerendis. in Christo Patre ac Domino, Dno Ioanne Archiepiscopo Treuir ac Principe Electore, & c. Dno suo gratiosissimo ad munus benedictionis impèdendū, specialè habere cōmissionē: Idcirco dict⁹ Scipio Officiatus seu Syndicus, nominib⁹, quibus supra, omnib. meliorib⁹: modo, via, lure, causa, forma & ordine, quibus meliorib. & efficacius fieri potuit

N n

ac de.

ac debuit, potest quoque & debet, saluis honore & reuerentiâ Benediçti Reuerendissimi Archiepiscopi Treuirensis, Domini nostri gratiosissimi, publicè & expressè protestabatur, quod in quantum prædicta Reuerendissimi ad benedicendum Reuerendo Domino Suffraganeo data specialis literatoria Commissio, Sanctissimi Domini Papæ aut Sedis sanctæ Apostolicæ superioritati, vel etiam ipsius Monasterii priuilegiis in toto, vel in parte derogare videretur, aut in hunc finem intelligi possit vel valeat, quod ex nunc & non aliàs aliter, neque alio modo opera ipsius Reuerendi Gregorii in hoc benedictionis munere, tanquam angustis & Episcopi Azotensis vti & vsum se esse in Dei nomine intelligi seu interpretari vellet, deluper iterum atque iterum solemniter protestando, super quibus omnia & singulis prædictis antefatus Dominus Scipio Officiatus seu Syndicus, & eo nomine, quo supra, sibi à me Notario infra scripto vnum vel plura publicum seu publica fieri & cõfici fecit Instrumentum & instrumenta, tot, quot forent necessaria. Acta sunt hæc, prout supra in superiori Sacristia, præsentibus ibidem Reuerendis in Christo Patribus ac Dominis Henrico Sancti Matthiæ prope & extra muros Ciuitatis Treuirensis, & Petro Lytio Beatæ Mariæ in Lutzenburgo dicti Reuerendi Domini Petri benedicendi conductori- bus, Roperto in Tholeia, & Laurwino in Medio lacu respectiue Monasterio- rum Treuirensis diocesis Abbatibus, Nec non egregijs, & spectabilibus Viris quoque ac Dominis Iodoco Haen Iurium Licentiatò, & Ioanne Esch, Petro Malbourgh, ambobus Ciuitatis Treuirensis Viris consularibus, atque Ioanne Beurich dictæ Ciuitatis Treuirensis Iudicii sæcularis Scabinis, & Adamo Roperti quæstori mulctarum ac Scabino Lutzenburgensi, nec non Magistro Anthonio Gobellio dicti Monasterii Sancti Maximini Scabino ac institore, Cive Treuirensi, cæterisque fide dignis nonnullis Viris, pro testibus ad præmissa rogatis specialiter & requisitis. Præmissâ verò protestatione, modo præmissa factâ, dicti Reuerendi Domini conductores, cæterique Abbates prædicti vna cum ministrorum altaris, aliorumque subsequentiũ celebri corona ex Sacristia superiori descendentes in ipsius Monasterii, illiusque Ecclesiæ chorum ad & ante eiusdem summum altare perrexerunt, vbi solitis stationibus, sessionibus ac locis sese componentes, imprimis præfatus Reuerendus Dominus Gregorius Suffraganeus, diuino Missæ officio pro more in Pontificalibus deuotè inchoato, eadem sua paternitas inter huiusmodi sacræ missæ officium sese iuxta antiquum ritum ad munus benedictionis impendendum accinxit, atque vt omnia recto & debito fierent & agerentur ordine, dictus Reuerendus Antistes Suffraganeus pro primo, præactam Sanctissimi Domini nostri Papæ Pij ad benedictionem Bullam extractam: Deinde Reuerendissimi Archipræfultis Treuirensis ad id specialiter datam Commissionem, ac pro tertio benediçti Sanctissimi Domini nostri Papæ Bullam confirmationis similiter plumbo in cordulâ canabis, more Romanæ Curiæ appendente, Bullatam, sanâ quoque & integram, non vitiatam, neque in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio & suspicionis nota carentem, cuius principium sic sonat: Pius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro à Lucemburgo, Abbati Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, S. Maximini prope & extra muros Treuirenses, ordinis S. Benediçti, &c. finis verò talis est, Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo, sexagesimo quarto, decimo septimo Kal. Octob. Pontificatus nostri anno V. &c. respectiue & successione debitâ cum reuerentiâ acceptam in & ad manus mei Notarij publici infra scripti reposuit, easq; Bullas Apostolicas, & litteras cõmil-

foriales, Archiepiscopales per me publicè legi iussit atque demandavit, atque debita cum instantia requisivit, post quarum quidem Bullarum Apostolicarum, ac litterarum commissionis, Archiepiscoporum respectuè præsentationem, ac debita cum reuerentia receptionem modo præmissis factas, Ego Notarius infra scriptus, uti præmittitur, requisitus, easdem Bullas Apostolicas, ac litteras Commissionis supradictas, quo mihi fuerunt porrectæ ordine supradicto publicè, altâ & intelligibili voce perlegi, huiusmodi vero Bullis ac litteris sic, ut præmittitur lectis, sæpeditus Reuerendus Dominus Gregorius Episcopus, qui supra, vltius in vi & virtute, iuxtaque continentiam earundem litterarum rite procedendo, litteras quasdam alias pargemeneas, sigillatas, clausas, formam iuramenti per ipsum reuerendum Dominum Petrum Abbatem benedicendum præstandi in se continentes, suæ paternitati præsentatas, consequenter aperuit, seu aperiri fecit, ac easdem litteras formam in se continentes iuramenti, porro in & ad manus eiusdem Reuerendi Domini Petri Abbatis debita cum reuerentia acceptas quoque tradidit, quibus pari cum solemnitate reuerenter receptis, Idem sæpeditus Reuerendus Dominus benedicendus huiusmodi iuramentum, sub certis formâ & modo præscriptum, ac de verbo ad verbum prout in litteris Apostolicis continebatur legit, & corporaliter præstitit, & nihilominus interea per Reuer. Dñm Suffraganeum de morum & vitæ integritate cõseruanda alijsq; virtutibus exercendis iuxta regulam S. Benedicti interrogatus, ac charitatiuè præuifatus, Idem Dñs Petrus Abbas de obedientia & fidelitate Reuerendissimo Dño nostro moderno Archiepiscopo Treurenfi & successoribus suis canonicè intrantibus præstandis, verbalem fecit promissionem ac præstitit iuramentum. Quod quidem cum religioso ac deuoti Dñi, Hubertus Prior, & Iacobus Gladbach Cantor dicti Monasterij astantes, audirent, statim & incõtinenti, quod huiusmodi promissio verbalis, seu iuramentum fidelitatis & obedienciæ Reuer. Dño nostro Archiepiscopo factæ & præstitæ, ipsius Monasterij iuribus & priuilegijs, si qua desuper haberent, præiudicare non deberent, coram me Notario protestabantur; His tamen non obstantibus sæpeditus Reuer. Dominus Suffraganeus in missæ & benedictionis munere processit vltius, benedictionemque iuxta morem antiquitus laudabiliter obseruatum, nec non missæ officium deuotè compleuit. Quibus omnibus & singulis, modo præmissis successiuè peractis, supra benememorati Reuerendi Domini, Sancti Matthiæ & Luxemburgensis Monasteriorum Abbates conductores præcedente sæpedito Domino Suffraganeo iamdictum Reuerendum Dominum Petrum Abbatem benedictum, & ornamentis Pontificalibus decenter insignitum circũdantes, cum eodem ab altari summo descendentes, eundem in stallum ipsius chori Abbatialem posuerunt & induxerunt, qua de regauisus chõrus tam religiosorum monachorum, quam Venerabilium, generosorum, nobilium ac honorabilium Dominorum ibidem præsentium, lætabundi in honorem Dei omnipotentis vnisona voce canticum illud solenne: *TE DEVM LAUDAMVS*, &c. magno cū applausu à principio vsq; ad finem decantauerunt, ipsique dicti Monasterij S. Maximini Monachi professi dictum Reuer. Dñm Abbatem singulariter, singuli iuxta ordinem & sensum humiliter accedentes pia cõpunctione & affectione congratulantes, & se subditos agnoscentes suæ paternitati dederunt, ac mutuo osculũ pacis recipere meruerunt. Processu itaq; benedictionis & consecrationis huiusmodi ac omnibus & singulis præactis, ordine, quo supra, peractis, rursus prælibatus Dominus Scipio Officiatus sibi desuper vnum, vel plura, publicum, seu publica per me Notarium infra scriptum fieri & confeci petijt Instrumentũ

& Instrumenta, in meliori & latiori formâ tot, quot forent necessaria, Acta sunt hæc, prout supra, in choro Ecclesiæ Monasterij Sancti Maximini horas infra nonam & decimam ante meridiem, præsentibus ibidem Reuerendis Patribus Abbatibus, nec non egregijs & spectabilibus viris supradictis, alijsque compluribus Venerabilibus, generosis, nobilibus ac honorabilibus, magnificis quoque atque egregijs & spectabilibus honestisque Dominis & Viris hæc omnia sic fieri videntibus, quibus supra tamen saltem testibus ad præmissa rogatis specialiter & requisitis.

Et quia ego Andreas Wolsfelt sacris Apostolica & Imperiali autoritatibus Notarius, Venerabilisque Curia Archiepiscopalis Treuirensis causarum communis scriba iuratus, præmissis omnibus & singulis actibus, dum successiuè, sic vt præmittitur, fierent & agerentur, vnâ cum præscriptis testibus præsens & personaliter interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, audiui, & in notam sumpsi, idcirco hoc præsens publicum Instrumentum alterius manu fideliter scriptum, exinde confeci, publicauit & in hanc publicam formam redigi, signoque, nomine, & cognomine meis solitis & consuetis signauit, in fidem præmissorum omnium & singulorum, rogatus & requisitus.

B.

IN nomine Domini Amen. Vniuersis & singulis præsens publicum Instrumentum visuris, lecturis, legiue auditoris notum sit & manifestum. Quod anno Incarnationis Domini, Millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Indictione octaua, die Martis post festum diui Ioannis Baptistæ, vigesimo sexto mensis Iunij, hora decima ante meridiem, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pij, diuinâ providentiâ Papæ Quarti, anno eius sexto. In mei Notarij publici, & testium fide dignorum ad hoc requisitorum, præsentibus & personaliter constituti, Reuerendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Petrus electus & confirmatus Sacri Romani Imperij Abbas apud Sanctum Maximinum iuxta Treuirim, nec non totus Conuentus eiusdem Monasterij, qui ibidem protestationem in manibus suis habentes, publicè in medium legi fecerunt, eademque lecta ad manus mei Notarij infra scripti exhibuerunt, ipsisque desuper vnum atque alterum publicum seu publica Instrumentum & Instrumenta confici petierunt. Quam quidem protestationem ego Notarius debita cum reuerentia, ab iisdem Dominis Abbate & Conuentu susceptis, nec non præsens publicum Instrumentum, manu alterius, me aliis interim negotiis occupato, fideliter scriptum, subscripsi, inque hanc publicam formam redegi, cuius quidem protestationis tenor sequitur in hæc verba. Cum Reuerendus in Christo Pater & Dominus, D. Petrus Electus & confirmatus Sacri Romani Imperij Abbas apud S. Maximinum iuxta Treuirim, Anno Domini supra millesimum quingentesimo sexagesimo quinto, in ipso Pentecostes Festo, quod erat decima Iunij, per Reuerendum similiter in Deo Patrem ac Dominum D. Georgium Episcopum Azotensem, Archiepiscopi Treuirensis Suffraganeum &c. vigore cuiusdam quasi commissionis (aduersus quam tamen, ante hunc actum sufficienti protestatione, cuius exemplar iungetur, si opus fuerit, itum est) à Reuerendissimo & Illustrissimo Principe Domino, D. Ioanne Archiepiscopo Treuirensis ac Principe Electore, emanatæ, munus accepturus esset, nihil sanè magis exspectabat, aut firmius credebatur, quam erga se eundem modum, ritum & ordinem obseruatum iri, vt cum suis, pia memoria, antecess-

foribus, hac in re actum sciebat, seque iuxta tenorem, Apostolicæ Bullæ formā, etiam transmissi per summum Pontificem iuramenti, admittendum fore. Quoniam vero dictus D. Suffraganeus, in peractione & administratione eiusmodi cæremoniæ, præter antiquam consuetudinem, & soli Apostolicæ Sedi debitum iuramentum, certas quasdam notas seu clausulas, per quas Abbatem in subiectionem Dominorum Archiepiscoporum Treuren. vocare & inducere nitetur, inferuit; præfatus D. Confirmatus magnitudine præsentis periculi deterritus, cum hæc omnia in actus medio, cui propter astantium multitudinem, actusque celebritatem sine magno scandalo & offendiculo se opponere aut reclamare nequiuisset, subtrahit, nihilque planè respondere voluit, Domino Priore tamen, & ex Conuentu senioribus, interim in continenti aduersus insolita hæc, & profus inaudita coram præsentibus & astantibus, huic actui, Notario aperte protestantibus. Vt verò ex hisce clanculariis innouationibus, & coacta, modo, quo supra, D. Confirmatus dissimulatione & taciturnitate, comprimis sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ (quæ sibi summam & immediatam Cænobij S. Maximini Iurisdictionem non immeritò vendicat) deinde ipsi Cænobio nihil præiudicij aut damni fiat, vel quicquam ex Sanctis Pontificalibus indultis, alijsue priuilegijs detrahatur, aut adimatur, rursus & secundariò eidem Domini, Confirmatus, Prior & Conuentus coram te Notario publicè atque solemniter, omni meliori & efficaciori forma, quibus de iure possunt vel debent, protestantur, quod non velint in eiusmodi nouas & inauditas D. Suffraganei formulas, clausulas, & interrogatoria (ad quæ tamen D. Confirmatus neque respondit, neque in præiudicium sacre Ecclesiæ Romanæ, aut sui Conuentus respondere potuit) aliquo modo consentire, aut permittere, quod sibi, posteris suis quidquam obesse, aut in futurum aliquod præiudicium generare possit, quodue in priuilegiorum suorum (quorum non immeritò maxima semper fuit authoritas) detrimentum vergere debeat. Quin imo, etsi omnia hoc in actu proposita (quod tamen in veritatis suppressionem non conceditur) ab ipsis D. Confirmato, Priore, & Conuentu rata essent habita, volunt tamen ea, tanquæ quæ inexpectatam & improuisam circumuentionem, contra bonos mores, atque in maximum Dei & Cænobij detrimenta extorta sunt, animo & mente reuocata, extincta & abolita esse, & quantum in se est, per præsentibus reuocant, extinguunt & abolent, Protestando rursus omni meliori forma, modo & via, quibus de iure vel consuetudine possunt aut debent, sibi mentem, voluntatem & propositum esse, de ijs omnibus & grauaminibus sibi hac in re contra tenorem Apostolicarum litterarum aperte illatis, conqueri, & iuris remedium ubi consultum videbitur, requirere velle. Requirentes à te Notario publico, ut huiusmodi protestationem eidem Domino Suffraganeo debite insinuare, & tuæ talis insinuationis vnum vel plura Instrumentum desuper conficere, & sibi prædictis Abbati, Priori & Conuentui medio tuo debito salario tradere velis. Porro omnibus, ut præmittitur, rite ac legitime peractis, prædicti Reuerendus & religiosi Domini Abbas, totusque Conuentus à me Notario exigerunt, ut meo salario semper saluo hanc protestationem prædicto Reuerendo Domino Georgio Episcopo Azotensi Archiepiscopi Treurenensis Suffraganeo prædicto, insinuare & ad manus suæ Reuerentiæ tradere velim, quod idem me facturum debite pollicitus sum. Acta sunt hæc in loco Capitulari Monasterij præfati sub anno, Indictione, die, mense, hora, Pontificatu supra scriptis, præsentibus ibidem honorabilibus & discretis Dñis Paulo Citopaio Canonico Capitulari Ecclesiæ Collegiæ Sancti Paulini, & Roberto Heier testibus fide dignis ad præ-

missa debite requisitis. Et quia ego Ioannes Wahl de Epternaco laicus Treuiren. Dioces. Sacris Apostolica & Imperiali autoritatibus publicus Notarius tali protestationi ac omnibus alijs & singulis praemissis, dum sic, vt praemittitur fierent & agerentur, praesens interfui, eaque sic fieri vidi & audiui: Idcirco hoc praesens publicum protestationis instrumentum exinde confeci; & in hanc publicam formam redegi, signo, nomine & cognomine meis solitis & consuetis subscripsi & subsignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum praemissorum rogatus atque requisitus.

61.

*Maximiliani I. Imperatoris Diploma Datum Treuiris,
Anno MDXII.*

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Amen. Maximilianus diuina fauente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex; Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lottaringiae, Brabantiae, Stiriae, Corinthiae, Carniolae, Limburgiae, Lutzemburgiae, Geldriae, Landtgravius Alsaciae, Princeps Sueviae, Palatinus in Habsburg, & Haemoniae Princeps, & Comes Burgundiae, Flandriae, Tyrolis, Goriciae, Hollandiae, Seelandiae, & super Anasum & Burgoniam Dominus, Suthphaniae, Phrisiae, Marchiae, Sclauoniae, Mechliniae, Portus naonis & Salinarum, ad perpetuam rei memoriam. Recognoscimus & praesentium tenore profite-mur, cum nostrum esse semper duxerimus, & vniuersorum sacri Imperij fide-lium subditorum commodis & vtilitatibus consulamus, illorum tamen honori & dignitati diligentius intendendum censemus, quorum morum integritas, & vitae sanctimonia, singulare praese fert exemplum; attendentes igitur Monaste-rij Sancti Maximini in suburbio Ciuitatis Imperialis Treuiren. constructionem & dotationem a praedecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus instituta Religiosorum illius Monasterij exactae vitae professionem, obseruantiam & deuotionem, dignum iudicauimus, vt quod per illos bono zelo erectum extitit, per nos sedulo conseruetur, quo & diuinus cultus amplietur & augeatur, & sanctis, quorum corpora ibi quiescunt, maior indies honor exhibeatur, Hocq; ex eo maxime futurum arbitramur, si Abbas, & Religiosi ipsi in bona quiete & tranquillitate a nobis tanquam Romanorum Imperatore, cuius protectioni & Saluaguardiae immediate subiacent, tueantur & foueantur, Accedens itaque ad nostrae Altitudinis praesentiam Honorabilis, deuotus noster dilectus Tho-mas Abbas, praefati Cœnobij Sancti Maximini, nobis obtulit litteras Priuilegio-rum, Concessionum, Libertatum, Gratiarum, Confirmationum, Immunitatis, Iurium, feudorum, Castrorum,munitionum, oppidorum, villarum, terrarum, fluminum, riparum, nemorum, donationum, dominiorum, Iurisdictionum, co-suetudinum, honorum & obseruantiarum praedecessoribus suis & ipsi Mona-sterio concessorum & commissorum, quorum tenores de verbo ad verbum se-quuntur.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, omnium Christianorum nouerit industria &c. Et nobis humili cum instantia supplicauit, vt praefatas litteras confirmare, corroborare, & innouare dignaremur. Nos vero precibus suis non indignis adnuentes, praedictas litteras Principum, Baronum & Procerum no-

strorum